Festschrift

zu dem

am 31. Mai, 1. und 2. Juni 1886

stattfindenden

300jährigen Jubiläum

des

Königlichen Gymnasiums

zu

TILSIT.

Gedruckt bei H. Post in Tilsit.

Carmen saeculare.

comp. Th. Preuss.

Salve serena luce oriens dies,
Qui fausta Tilsae tempora nuntias!
Te laeta agit cantu iuventus,
Vota senum pia te salutant.

Radice quondam de tenui sata
Arbor viret iam per tria saecula,
Georgius quam Fridericus
Prospiciens patriae dicavit:

Abrepta magnae quae patriae sinu,
Regno superbi subdita Sarmatae
Gratum dabat Musis Boreis
Frondibus exiguis asylum.

Saeclo peracto fronde nova caput
Cinxit virescens, Magnus ubi feros
Elector hostes amne nostro
Impete fulmineo fugavit:

Qui dura nostris sceptra Poloniae
Excussit agris armaque Scandiae,
Pacisque vindex iussit artes
Flore novo veteres renasci.

Saecli sequentis principium nigra
Velat gementis nube caput scholae,
Nam nocte Magni Friderici
Stella micans premitur suprema.

At laetiores luce sacra pio
Plausu nepotes suspicimus diem,
Qui splendido saecli futuri
Tempora vaticinatur ortu.

Feliciores nam genitoribus
Victrice iunxit Teutonicae manu
Nunc Imperator GVILIELMVS
Nos patriae Pius atque Felix.

Talis schola haec non immemor auspicis,
Regis benigna freta manu ducis
Mores iuventuti usque mites
Inseret ingenuas et artes.

Nec non Supremi sit memor haec domus,
Qui corda flectit numine principum,
Ductore quo primordium omne,
Exitus auspice quo petendus.

Tellure fessos qui revocas senes,
Prolemque semper qui vegetam refers,
Nostrae benignus Tu palaestrae
Tempore sis moderator omni.



De orationum operi Liviano insertarum origine et natura.

Pars I.

Scripsit F. Friedersdorff.

Quomodo historiam conscribi oporteat, quid tanti sit ponderis, ut posteritati tradendum videatur, utrum res simpliciter sint enarrandae an splendore quodam et copia verborum sint exornandae, multi et hac aetate dissentiunt et antiquitus dissenserunt.*) Cicero quidem, cum historiam opus oratorium maxime diceret, professus videtur, quod plerisque tum hominibus doctis probabatur; at recentiores historici nihil magis ab historia discrepare putant quam artem oratoriam. itaque utcunque de ceteris rebus iudicamus, illud discrimen inter veteres et nostros scriptores intercedere videtur maximum, quod illi principes in civitate viros, duces, tyrannos, tribunos loquentes induxerunt, hi non verba, sed consilia rationesque virorum egregiorum spectari volunt. ex qua studiorum diversitate quantum ipsorum operum discrimen oriatur, facile intellegitur. fieri enim non potest, ut quis, quae viri summi locuti sint aut locuti dicantur, polita et composita oratione imitetur, quin idem ad ceteras operis partes, etiamsi orationibus principum careant, eandem sermonis excolendi adhibeat diligentiam. quem scribendi laborem qui velit recusare, is vereor ne eo rem sit adducturus, ut opus lacunarum multitudine videatur hiare et inter se ipsum discordari. itaque ex hac ipsa cura in orationes operi insertas perpoliendas et emendandas conlata ortus est sermo ille omnibus numeris perfectus et absolutus, cuius suavitate et gravitate, ut Graecos taceam, Sallustius, Livius, Tacitus animos legentium perfundunt.

*) In componenda dissertatione ea potissimum secutus sum, quae hi homines docti scripserunt:
C. Nipperdey, opuscula p. 411. q. s.
A. Rüdiger, de orationibus, quae in rerum scriptoribus Graecis et Latinis reperiuntur, imprimis Herodoti et Sallusti ratione habita. Progr. Schleiz. 1875.
J. Seebeck, de orationibus Taciti libris insertis part. I. Progr. Celle. 1880.
E. Lang, das Strafverfahren gegen die Catilinarier und Caesars und Catos darauf bezügliche Reden bei Sallust. Schoenthal. 1884.

Quid simile recentium historicorum? qui cum id sibi maxime proponant, ut explorent et perscrutentur, quibus artibus civitates gubernentur et in officio retineantur, quibus studiis ac voluntatibus cum universae gentes tum singulae factiones aut ad amicitiam aut ad odium impellantur, quibus naturae humanae necessitatibus populi modo efflorescant modo ad interitum rapiantur, quibus denique causis absconditis et conspectum vulgi fugientibus omnis haec vita moveatur et ducatur — ii igitur, cum in quaestionibus difficillimis et natura involutis operam consumant, scribendi elegentiam, si non despiciunt, at certe multo quam veteres adhibent minorem. itaque et rerum ipsarum difficultate et orationis genere fieri solet, ut eorum libri non multitudini mediocriter doctorum, sed hominibus severitate studiorum adsuetis probentur nec imperitorum, sed eruditorum manibus teneantur. —

Sed recentes scriptores, cur orationes in narratione inligare noluerint, ipsa operum natura patet; veteres, cur id ipsum quam maxime facere studuerint, minus est in aperto. atque id quidem vel parum diligentur rem intuentibus apparet, non animi causa nec ut multitudini indoctae puerilem aliquam pararent delectationem veteres illos in orationibus historiae infigendis tantum collocavisse laboris: maius aliquid fuit et excelsius humanaque sapientia dignius, quod eos in hanc viam historiae conscribendae impulit. etenim cum vitam, quae tum fuit, publicam depingere vellent et accuratam eius exprimere imaginem, facere non poterant, quin ea instituta, quibus tum respublicae pro fundamentis utebantur, contiones, iudicia, senatum, ante oculos legentibus proponerent nec quicquam ex vera eorum forma omitterent. quid? senatus Romani maiestatem, qua ratione melius repraesentabis, quam cum singulos patres sententias dicentes induces? aut contiones Quiritium, quomodo clarius significabis, quam cum forum Romanum tribunorum vocibus personari facies? quid? quod refulgentes hastarum spiculis acies nostris oculis spectare videmur, cum imperatorum pugnam committentium ingentia verba audimus? — nec solum ut rerum accuratam referrent imaginem veteres orationes operibus inseruerunt, verum etiam ut homines ipsos, quales fuerint, quae secuti sint consilia studiaque, quibus virtutibus ad fastigium gloriae evecti, quibus vitiis ad exitium sint adducti, posteritatis memoriae mandarent. Periclem quidem, florentissimam rem publicam ingenii virtutibus ad omnia praeclara facinora artesque ingenuas impellentem, utrum narratione vel disputatione quamvis ingeniosa an oratione Olympii Iovis maiestatem referente dilucidius effingi putamus? quid? Catilinam, orbem terrarum ferro et incendiis vastare cupientem, quis, qualis fuerit, melius intelleget, quam qui ipsius verba simulationis ac vesaniae plena audiverit?

Atque illud studium orationum inligandarum, ut elegantia et doctrina recens, ita re ipsa pervetus. nam vel antiquissimis temporibus, qui res populorum regumque conscripserunt, sive poetica arte et versu heroo decoratas sive fuso et tranquillo scribendi genere enarratas, hanc rationem secuti sunt. itaque nec Homerus, omnis ille doctrinae parens, contionantes viros fortes et orationes incomptas modo nec arte perpolitas, modo ornatas et graves habentes inducere dubitabat, nec Herodotus, a quo omnis historiae conscribendae ars dicitur profecta, immortalem gloriam Graecorum de libertate decertantium satis sibi videbatur illustrasse, nisi verba facientes ad populum

aut colloquentes aut consultantes duces introduxisset. qua illi ratione cum alia tum id sunt assecuti, ut historicorum arti liberiorem et expeditiorem aperirent campum. hunc primus ingressus Thucydides, omnis ille artis historicae unicum exemplar, historiam ad eam adduxit perfectionem, ut nec narrationis nec orationis genere ornatius quicquam possit cogitari. nam cum omnes ante eum scriptores verba et orationes principum ita retulissent, ut nihil nec demerent nec adderent, sed sincera fide, quae scripta invenerant aut ab aliis acceperant, in libros reciperent, ille primus artem addidit rhetoricam eaque ratione composuit orationes, ut vel a doctissimis eloquentiae magistris nihil in iis elegantiae possit desiderari, nec ea solum, quae dicta esse constabat, viros summos fecit dicentes, sed vel ea, quae apte ab iis dici potuisse sibi persuaserat, tanquam fide historiae essent comprobata, in scripta retulit. quod cum inter omnes constet ac ne apud Graecos quidem quisquam eorum, qui post fuerunt, Thucydidis virtutes aequaverit, illos iam omittamus, Romani, quomodo in eadem arte versati sint, contemplemur.

Atqui hi quidem, cum gerere quam scribere res mallent, ut ad ceteras artes, ita ad historiam sero accesserunt. verum ne tum quidem, cum homines nonnulli nobiles conscribendis maiorum rebus operam darent, quamvis ingens turba Graecorum pro magistris et exemplis esse posset, laete effloruit historia vel ornatum aliquem aut copiam sermonis est assecuta; immo per longum tempus adeo iacuit illa disciplina, ut Ciceroni quidem omnes historici latini ieiuno et exili dicendi genere premi viderentur. quamquam non defuerunt, qui operibus orationum multitudine decorem addere studerent. velut Catonem, ne quae in rebus civilibus esset secutus, in oblivionem venirent, orationes a se pronuntiatas in originum libros recepisse, quis nescit? verum duabus ille maxime differt rebus ab iis, qui apud Graecos eandem rationem sunt secuti, nam et ipsius orationes fere solas recepit, quasi vero nemo alius dignus esset, cuius verba posteritati traderentur, nec satis magnam in verbis eligendis et componendis collocavisse videtur curam, quin etiam inusitatas et a communi doctorum usu abhorrentes voces consilio elegisse putandus est. itaque is profecto indignus, qui novae apud Romanos artis haberetur auctor et princeps, nec qui eum secuti sunt, annalium scriptores, quamvis nonnulli, ut L. Coelius, propter artis studium non mediocriter laudandi videantur, idonei qui torpentem etiamtum et invalidam eloquentiam latinam excitarent et novum scribendi genus introducerent.

Ex hac turba res Romanas adsidue magis quam laudabiliter componentium et gloriam populi potius quam veritatem sectantium ducis egregii instar enituit C. Sallustius Crispus. is cum Graecorum et philosophiae et rhetoricae „ultra fere quam decebat senatorem et Romanum“ dedisset operam, qua erat ingenii facultate, Thucydidem secutus, uno, ut aiunt, ictu rem transegit opinione difficiliorem artemque, quae antea fuerat nulla, cum populo Romano tum omni humanitati quasi gratificatus est et largitus. quamquam is in orationibus componendis ea maxime re est adiutus, quod omnes, quos loquentes introduxit, si non ipse audivit, at certe, quomodo verba fecissent, aut ab aliis accepit, aut quae illi dixerant, perscripta inspicere potuit, ut, etiamsi verba suo ingenio videatur finxisse, non falsam aliquam et temere excogitatam orationum ante habitarum speciem, sed imaginem simillimam posset referre.

At vero Livi in eodem genere longe alia fuit ratio. is enim, libera republica iam exstincta ad historiam aggressus cum taedio illius aetatis commotus ad antiquissima rei Romanae tempora animum convertere mallet, ut ex praeteritarum virtutum splendore consolationen caperet in tanta labantis imperii miseria, non quas orationes ipse audiverat aut de quibus cum aliis, qui dicendo adfuissent, collocutus erat, operi intexuit, sed quas aut apud antiquos annalium scriptores invenerat habitasque esse scriptum acceperat, aut quas haud inepte haberi potuisse secum constituerat. nec magnum fuisse eum numerum iam ante Livi tempora in annales receptum, et ex iis quae supra diximus et ex ipsius rei natura patet. quotus enim quisque fuit antiquissimis temporibus vir Romanus, qui arti operam daret, dum ad Quirites vel ad milites vel apud senatum etiam verba faceret? satis erat illis viris fortibus ac strenuis, quae sibi proposuerant, aperte eloqui nec aliam in dicendo curam sequebantur, quam ut animos audientium quam maxima veritatis specie percuterent. — hinc fit, ut a primis operis Liviani libris orationes omnes fere absint. nam ut regibus vel Bruto et Collatino civitatem gubernantibus habitas esse contiones concedamus, quis iis perscribendis operam dedisse putandus est? aut quae potest excogitari alia ratio, qua illa priscorum hominum verba per ingentem saeculorum seriem tantasque rerum commutationes ad Livi usque aetatem potuerint pervenire? quod ita suo iure accidisse Livius cum perspexisset, ut Romulum vel alias rei Romanae conditores contionantes induceret, tantum aberat, ut nihil nisi colloquia quaedam et voces quasi necessitate expressas ad illius aetatis mores et consuetudines accommodatas putaret. tum demum, cum acre illud certamen de aequando iure magistratibusque communicandis inter patres plebemque exardescens erat depingendum, Livius magnas quasdam et ad optimorum rhetorum exemplaria effictas orationes narrationi innexuit. nam et occasio artis demonstrandae tam opportuna se obtulerat, ut temere eam omittere vix satis prudentis videretur, et ad ardorem, qui tum fuerat, animorum repraesentandum tam efficax auxilium, ut eo neglecto intellegentissimus quisque plurima in illius aetatis morum descriptione esset desideraturus. constabat habitas esse contiones et multas et vehementes: quis operi insertas nollet? constabat item deperditas et antiquitate abolitas: quis, qui quidem Thucydidem vel in recenti rerum memoria idem facere vidisset, excogitare et effingere dubitaret? tamen, cum ex ipsius ingenio, quae tum ad populum dicta viderentur, expromeret et suo arbitrio componeret, nec iudicium eius fugit aliam alia aetate orationum habendarum fuisse rationem, nec legentes ad eam opinionem adducere conatus est, ut quae scripta a se legerent, antiquitus tradita arbitrarentur. itaque cum ex prisca antiquitate nulla magis inclaruisset oratio, quam illa, qua Menenius Agrippa plebem ad redeundum in gratiam cum patribus permovisse ferebatur, Livius nec orationem composuit, quam ab illo tum habitam esse legentibus persuaderet, nec eius artis rhetoricae, quae sub Augusto florebat, vestigia ulla verbis Menenii impressit, denique „prisco illo dicendi et horrido modo nihil aliud quam fabulam“ (de ventre membrisque inter se discrepantibus) „narrasse“ eum dicit.

At inde a libro tertio altior se erigit fortiorque incedit ars oratoria nec quae tribuni illius aetatis loquuntur, dissentiunt ab ea ratione, qua Gracchi ceterique vulgi

concitatores labente iam republica erant usi; eadem saevitia, eadem ars, idem ad animos plebis inflammandos furor. nec tamen ita rem est aggressus, ut orationes pro ornamentis solis essent nec quicquam ad totum operis institutum ex iis redundaret commodi, sed tanta arte composuit, ut aut legentes de nova aliqua re certiores faceret, aut ut homines, qui audirent, ad novas res incipiendas incitari doceret. quod nisi ita esset, a veritate et vita illae orationes mirum quantum abhorrerent. non enim ad delectandum contiones haberi solent, sed ut quae iam acta sint, exponantur, quae agenda sint, praecipiantur, quae vitari debeant, praecaveantur; nec quicquam ex illis virtutibus in primis operis Liviani orationibus desideratur. velut quae decemviri scelera commiserint, tribuni in mentem revocant plebis et ardentissimis verbis ad ulciscendum impellunt; quae Galli patriae mala adtulerint, Cammillus Ardeatibus refert et ad propulsandum commune periculum ita instigat, ut inde ab illa contione arreptis armis adiunctisque Romanis militibus proficiscantur ad recuperandam urbis Romanae libertatem.

Quamquam has virtutes in tanto tanti scriptoris opere inesse per se intellegitur, nec nisi inessent tantum laudis scribenti esset a legentibus tributum; maior est laus, quam novo dicendi genere in historiam inducto Livius meruit. nam cum tria sint orationum habendarum genera: deliberativum, quo quid factu optimum sit apud populum vel senatum vel principem exponitur, iudiciale, quo vel a reo crimen inlatum redarguitur, vel reus ab accusatore in ius vocatur, demonstrativum, quo ad praedicandas virtutes magnasque res celebrandas utimur, antiqui ante Livium scriptores cum omnes tum Thucydides saepissime deliberativo, demonstrativo rarissime in historia sunt usi, Livius primus tria illa genera, suo quodque loco introduxit. apud Thucydidem quidem omnes fere orationes ad deliberativum genus pertinere, quis negabit? e quibus si unam illam praeter ceteras egregiam, quam Pericles ad mortuorum memoriam celebrandam habuisse fingitur, excipiamus et in demonstrativo referendam profiteamur, verendum sit, ne inveniantur, qui vel illam deliberativo velint reservari. verum illi ut videbitur; nos ceteri scriptores qua ratione egerint, consideremus. atque hi ut a Thucydideo exemplo discederent, tantum aberat, ut vel Graeci vel Latini, qui quidem digni sint historicorum nomine, in opera nisi certis quibusdam in rebus praeter deliberativum genus aliud admittere nollent. hoc loco ne quis mihi afferat Catonem! nam ut eum accusationes in libros recepisse concedamus, tamen ea ratio, quam per omnem vitam in agendo et scribendo et dicendo est secutus, ita a ceteris hominibus abhorrebat, ut de se suaque gloria nimium anxius, non ut artem historicam augeret et excoleret, videatur spectavisse, sed ut sui ingenii monumenta posteritati traderet.

Contra merum in hoc genere se praebet Thucydideum Sallustius. is igitur, cum summa arte in orationibus componendis uteretur, aliam tamen rationem ac Thucydides sequi veritus, solum genus deliberativum admisit. nam ex tam multis orationibus, quas inseruit, ne unam quidem invenies, quam demonstrativam dicere velis, quamquam id quidem genus apud Thucydidem fuisse videtur, nec ullam, quam iudiciali tribuere malis. eae certe orationes, quae in senatu de poena, quam Catilina eiusque noxae participes meruisse viderentur, finguntur esse habitae, tamen adeo non

pro iudicialibus sunt accipiendae, ut deliberativarum sint dicendae vel optima exempla. etenim quamvis patres munere iudicum fungantur, quamvis de poena constituenda in utramque partem graves dicantur sententiae, tamen nec accusatoris verba proponuntur acerbitatis, ut mos erat, plena, nec reus causam dicens introducitur, nec omnino. quin scelus ante eum diem inauditum ac novum sit commissum, aut quin illud scelus summa atrocitate sit puniendum, a quoquam dubitatur. itaque cum nec reo sui purgandi sit occasio data nec ullum inveniatur iudicii signum, quis iudicium illud vocare sustinebit ac non patrum de hominum scelestissimorum poena deliberationem? at apud Livium saepissime se offerebat occasio orationum iudicialium. tamen, id quod iam supra demonstravimus, cum ex antiquissimis temporibus res erant repetendae, elato dicendi genere longisque orationibus abstinuit; velut quae de Horatio iuvene apud regem Tullum quaestio habetur, paucissimis transigitur verbis, nulla fere adhibita oratoris arte; paullo vero post, cum Appio Claudio causa est dicenda, nec accusatio deest Vergini nec defensio Appi ceteraque, quae in iudicio agi solent. nec tamen omni occasione artis in hoc genere demonstrandae Livius uti voluit; velut in libro V, c. 32. cum dies Camillo propter praedam Veientanam dicitur, nec accusatoris nec rei orationem effinxit, verum indicta causa Camillum ultro in exilium abiisse narrat, nimirum quia indignum videbatur, tantum virum apud populum causam dicere. at vero M. Manlium Capitolinum in certamine capitis causam orantem, Cornelium Cossum accusantem audimus (VI. c. 14—20), quamquam ne tum quidem longas habere finguntur orationes, sed quae dixisse putandi sunt, ea strictim percurruntur, vel obliqua adhibita oratione referuntur. scilicet cum intellegeret, insolitam et ante non susceptam se agere rem, quod in opere historico iudiciali uteretur genere, pedetemptim quasi progreditur, ne taedio legentes adficiantur. veritus etiam, ne animi legentium nimis multis orationibus defatigarentur, modo oratione indirecta paucisque verbis usus, quae accusator vel reus dixerit, proponit, modo quae in iudicio dixisse putandi sint, ea alio quodam loco eosdem facit referentes, velut in contione apud plebem, quia audacior multo et vehementior est contio quam causarum dictio, denique tanta arte et varietate in hoc toto genere versatur, ut languere animi nullo modo possint. — ac ne multus sim in singulis causis capitalibus percensendis, quoniam introductum esse iudiciale genus in historiam a Livio patet, satis sit, in memoriam revocasse ex libro XXVI de Marcello et Flacco populi iudicia, ex libro XXIX in Plemminium vehementem illam et lamentabilem accusationem, ex libro XXXVIII Manli, Gallograecorum victoris, et accusationem et defensionem, item eodem loco P. Corneli Scipionis Africani, alia. —

Atque haec quidem hactenus de orationum genere; videamus nunc, num homines verba facientes apud Livium tales depingantur, quales re vera fuisse traduntur. atque hoc loco id maxime est considerandum, fieri omnino non potuisse, ut in prima operis Liviani decade virorum fortium ac principum ad vitam veritatemque expressae imagines effingerentur. quis enim quibus illi moribus, quo ingenio, qua dicendi arte, qua doctrina fuissent, ita memoriae potuit tradere, ut accuratius inspicienti fidem faceret? res gestas populi Romani antiqui illi conscribebant, virorum fortium magna facta immortalitati consecrabant; ipsorum hominum ingenia nihil fere respiciebant. quod cum ita inter omnes constet, ut dubitatio procul absit, iam intellegitur, si,

quibus ingeniis oratores fuerint, ex ipsorum verbis perspicere nobis videmur, id quoque Livi sollertiae acceptum referri. verum utcumque in orationes primae illius decadis inquirimus, non multum ad ingenia, mores, doctrinam singulorum oratorum perspicienda proficimus. hunc iuvenem fuisse ex dictione apparet, illum senem; alterum nobilium, alterum plebis sectatorem; modo sedatum et tranquillum, modo acrem et vehementem cognoscimus. sed hic consistit cognitio nec usque eo procedit, ut pro vero affirmare possimus, fuisse illos oratores tales, quales Livius in contionibus se gerentes fingit, nec tantum valet, ut aut Camillum aeque gravem oratorem ac bellatorem acrem fuisse putemus aut ut Valerium Horatium consules se pro aequando iure plebeque defendenda tam fortiter interposuisse nobis persuadeamus. nec id efficere voluit Livius, nec si voluisset, nimium se ab historiae fide recedere ignovarisset. quis autem est, qui orationes aliquem habere fingat, quin ei certam aliquam personam humanam ita induat, ut vel senem vel iuvenem, vel imperatorem vel militem, vel senatorem vel plebis turbatorem ex ipsorum verborum conformatione atque ex totius orationis natura ac spiritu cognoscere possimus? nihil igitur aliud fecit Livius in prima quidem operis decade atque ob id ipsum, quod tanta prudentia et arte in hoc genere est usus, ab omnibus laudatur. et quoniam qui contionantur plerumque non suam ipsorum sed communem omnium causam agunt, sive tribuni pro plebis libertate propugnant, sive consules nobilium iura defendunt, sive magistratus summus cives in alium locum demigrare vetat: quales illi fuerint, legentium non tantum interest quam qualis causa quam tuentur, nec tam quae dicunt, ab ipsis excogitata, quam ab omnibus sive plebeis sive optimatibus sive a populo universo olim dictitata, exoptata, vituperata videri debent. quod cum Livius ita se habere recte perspexisset, omnium ignorationi de indole ac natura singulorum virorum fortium ita succurrit, ut certis quibusdam signis et notis in dicendo alium ab alio distingueret, de ipsorum moribus et ingeniis nihil excogitaret, quod accuratiorem cognitionem (quae nulla erat) in se esse posset indicare. —

Cognovimus rationem primae decadis, videamus nunc qualis sit tertiae. ac primum quidem id non poterit dubitari, quin ne ex illa quidem aetate contiones genuinae ac verae ad Livi tempora potuerint pervenire, ut non aliter de iis, quae scriptae leguntur, sit iudicandum ac de Thucydideis; excogitatae enim sunt a viris doctis, ita ut ad mores ingeniumque illorum hominum aptae viderentur. tamen alia prorsus fuit condicio Livi cum bellum Punicum scriberet, ac cum initia rei Romanae et proxima intiorum componeret. nam et multi de bello Punico iam ante eum cum cura et diligentia scripserant, nec Romani solum, verum Graeci etiam et Poeni, et magna illa tempora, cum dirus Hannibal per Italas urbes equitaverat, carminibus et fabulis celebrata, tam diu in universi populi memoria infixa haeserant, ut quales viri egregii illa aetate fuissent, non prorsus esset in obscuro. discussa erat nebula, qua prima origo principis terrarum populi premebatur; luce clarius apparebat, quibus magnorum virorum virtutibus res Romana ad tantam magnitudinem ascendisset.

Quae cum ita essent, Livius opus aggressus eo ardore eoque patriae amore, qui virum egregium et vere Romanum decebat, non dubitabat, quin Scipionem maiorem

maiestatis plenum, Hannibalem astutum et vehementem, Fabium sapientem eundemque sibi fidentem, Scipionem Africanum doctum et altiora quam pro homine petentem vel in orationibus habitis depingere oporteret. quod cum faceret, et historiae praeclare mihi videtur inservisse nec a communi omnium de magnis illis viris iudicio discessisse putandus est.

Atque ut ab Hannibale, quo nemo neque illa neque ulla aetate fuit clarior dux, initium faciamus, haud saepe Livius eum facit contionantem; magnae orationes ei tribuuntur et ineunte bello (XXI, c. 43) et ante proelium Zamense (XXX, 30); praeterea aut colloquia aut parvae quaedam contiones habuisse fingitur, quae si negligimus, bis omnino orator Hannibal introducitur. nec id fortuito factum putabimus. quo enim quis plura per vim et fraudem exsequitur, quo acrius ardet odii explendi et ulciscendi cupidine, eo minus propensus videbitur ad verba speciosa facienda. accedit, quod Hannibalem in castris cum militibus versantem orationes habere nihil attinebat, cum imperio liceret uti, nec is solet esse animus hominum, ut per viginti annos splendore verborum in officio retineantur et ad pericula pariter obeunda impellantur, si auctoritas ducis ac fides absit.

Atque ut ipsas orationes Hannibalis perlustremus, maximam movent admirationem, quae ille in libro XXI, 21 dixisse fingitur. Hannibal enim, Sagunto exciso cum bellum Romanum suscipere in animo haberet, suae gentis milites ad tantum opus non suffecturos ratus Hispanos contione habita in suas partes conatur transducere. ac ne de forma ipsa orationis dicam, quamquam ea quoque multis fuit admirationi (cfr. quae Woelfflinius ad hunc locum adnotavit) vel primo adspectu apparet, quanto dolo, quantis fallaciis in dicendo sit usus. nam cum initio profiteatur, fieri posse, ut aut militiam finiant aut in alias terras bellum transferant, tamen quae de finienda militia dixit, prorsus videtur oblivisci, totamque rem ita peragit ac si omnibus Hispanis certum destinatumque sit, ex bellis bella per omnem vitam serere; quin etiam usque eo procedit, ut vitae iucundidates nisi bellis gerendis ad Hispaniam omnino pervenire non posse contendat. quod quantopere a veritate abhorreat, vel inde intellegitur, quod magnum inesse desiderium dixit militibus Hispanis suos suasque domus visendi. quis autem est, qui belli ultro inferendi cupiditate ardeat, eodemque tempore suorum suaeque domus studio teneatur? itaque Hannibal, quae ipse sentit, ea milites Hispanos pervelle simulat bellumque, quod cum Romanis instat, ut rem omni populo Hispano utilissimam extollit, ea quoque in re Punica usus astutia.

